# ADRIANI BEIERI,

J. U. D. CELEBERRIMI, ET CURIÆ PROVINCIALIS SAXONICÆ UTRIUSQVE LINEÆ COMMUNIS ADVOCATI ORDINARII,

## TRACTATIO JURIDICA;

DE

# JURE DORMIENTIUM,

Vom

## Recht der Schlaffenden;

IN CELEBERR. ACAD. JENENSI
ANNO MDCLXXII.
HABITA.

NAPOLI

*HALAE MAGDEBURGICAE,*
AERE HENDELIANO, 1726.

Digitized by Google

*B. L. S.*

COnſtitutum eſt nobis, hac Diſſertatione, quod circa Dormientes juſtum eſt, ad uſum Exercitii Academici pertractare. Quem in finem Varia, uti vides, excerpſimus, quæ ad noſtrum propoſitum facere videbantur. Quoniam vero, quantum nobis quidem conſtat, nemo hactenus Dormientes conſideravit, eosque inſpiciendos exhibuit, etſi mallem ab Exercitato præveniri, ut ſemitam invenirem calcatam, ideoque permulta nobis omittenda, multa non amplius quam tan-enda erunt: hoc tamen ut feliciter ſuccedat, Deum T.O.M. ſuppliciter veneror, ut ſapien-æ facem accendere, meque in Veritatis & Ju-itiæ ſemita ducere clementer velit. Tu L.B. lices nobis apprecabere viales, atque ſi homo , in via hac invia errare humanum eſſe, cogi-is.

 CA-

# CAPUT I.

## De.

## Somno & Vigilia.

### Th. I.

DOrmientes, ut a Vocabulo exordiamur, termino complexo *denotant* ſuppoſitum quoddam in ſtatu ſomni conſtitutum; ita ut duo ſimul dicantur, ſubjectum ſomni capax, & ſomnus ipſe tanquam forma accidentalis, quæ de ſuppoſito prædicatur, eique denominationem tribuit. Logici dicerent Concretum, ſive, Terminum notativum. Quoniam igitur *Somnus* appellationem ſuo ſubjecto fœneratur, operæ pretium erit, pauca de eo, quantum ad ſcopum ſufficit, proferre.

Th. 2. Ponemus autem eum *in prædicamento Qualitatis, ſic,* ut cum vigilia tanquam habitu ſuo reciprocetur; quæ duo contraria commune requirunt theatrum in quo ſe exerceant, h. e. ſubjectum ex quo ſe mutuo expellant; ut vero dicamus, alterutrum natura ineſſe, vix admittit conditio rerum, ad viciſſitudinem inclinans.

Th. 3. Subjectum ante dare non poſſumus, quam de Cauſa Efficiente viderimus: quam tamen proprie talem difficulter inveneris, quia ſomnus privatio quædam & abſentia eſt, non Entis autem nulla ſunt prædicata, & ex effectu judicare poſſumus de ſua cauſa. Dixerim tamen *Cauſam Efficientem ſomni remotam*, eſſe ipſum Motus & quietis principium primum, Naturam, cui teſte Eccleſiaſt, *cap. 43 v. 25.* placuit, duo duobus, unum uni opponere.

Th. 4. Dantur autem & *Cauſæ Propinquæ* Promotrices atque Occaſiones ad ſomnum deducentes, *partim* naturales, *partim* ſupernaturales; atque *illæ* quidem *aliæ* lentæ, *aliæ* violentæ; *ſeu* aliæ naturales in ſpecie, ſpontaneæ & intrinſecæ, aliæ factitiæ & extrinſecæ.

Th. 5. *Lente & porxime*, ſomnum cauſantur Vapores e ventriculo aſcendentes in cerebrum, atque ibi reſoluti roris inſtar

ſtar deſtillantes; cantus ſuavis cui attenti auſcultamus, mollis frictio; laſſitudo & defatigatio; ſolitudo, curæ atque tenebræ; immodicum frigus aut calor & ſim. quæ quidem vehementia & extrinſeca itidem videntur, intuitu tamen eorum quæ nos ita vocabimus, ſpontanea, naturalia, lenta & intrinſeca longe rectius dicentur,

Th. 6. *Remote atque Violenter* ſomno tradimur atque ſopimur *medicamentis ſoporiferis*, papavere aut ſimilibus; idque duplici fine; *nam aut* ſimpliciter inſomnes ſumus, atque longis excruciamur vigiliis, Germanus vocat man ſey aus der Ruhe kommen, quod requiem quis intempeſtive turbaverit, & hoc ſolum intenditur, ut dormiendi facultas reconcilietur: *aut* præter ſomni reſtitutionem hoc agitur, ut profundius ſopitus non perſentiſcat cruciatus medicamenti violentioris adhibendi, ſectionis aut abſciſſionis membri: utrobique cavendum ne penitus conſopiamus eum, ſomnoque tradamus ſempiterno, ſitque medicina vehementior ipſo morbo;

Th. 7. *Præter naturam* invitant ad ſomnum *cauſæ tum divinæ*, ſtuporem vel ecſtaſin producentes, quæ non ſolum in ſe ſunt extraordinariæ, verum effectum quoque gignunt irregularem, ut difficulter expergiſcantur: quali ſomno putamus affectum Adamum, quando *Gen. 2. verſ. 21.* adeo profunde obdormivit, ut coſta pro uxore formanda citra ſenſum & paſſionem eximi potuerit: quo pertinent ecſtaſes D. Pauli *2. Cor. c. 12.* D. Petri. *Actor. X. 10.* vid. Hieroym. *Proœm. in Daniel.* Nec non fabula de Clemente, Petri diſcipulo & ſucceſſore, ap. Petr. Greg. Tholoſ. *L. 13. c. 28. de Rep. n 12.* de Epimenidis ſomno in annos ſeptem ſupra quinquaginta producto, videri poteſt Laert. in ejus vita *Lib. 1. p. 77.* de in vulgus notis ſeptem dormientibus, denen Sieben-Schläfern, quorum memoria die 27. Junii quotannis recurrit, legi poteſt Paulus Warnefridus & Volaterranus *L. 9.* add. Cranzius *L 8. c. 39.*

Th. 8. *Tum Diabolicæ*, quando Diabolus Sagis & Veneficas ſuis *partim* illudit per ſomnum, cui immerſi videntur ſibi ad anniverſarias atque ſolennes ſuas choreas per aerem vehi, vel facinora plura patrare, revera autem conſopiti atque in ecſtaſi

 proſtra-

proſtrati jacent; quale Exemplum Burdigalæ in Gallia 1571 contigiſſe teſtis autoptis Bodino recenſuit, quod tractatui *de Dæmon. L. 2. c. 5.* inſeruit, cui add. Olaus Magnus *in Hiſt. de Gent. ſeptent.* & Tholoſan. *de Rep. d. l. 13 c. 28. n. 4.* *Partim* arctiori ſomno ſenſum torturæ ſubfuratur, ut perdormiſcentes nihil paſſæ, nihilque confeſſæ puſſim legantur, referanturque. Bodin. *de Mag. Dæm. L. 4. c. 10.* Godelm. *L. 3. c. 10.* Delrio *L. 5. ſect. 9.*

Th. 9. *Subjectum quod* ſomno fruitur, *ſunt* Corpora animantia; *nam* quæ vita carent, neque vigiliæ neque ſomni capacia ſunt. *Subjectum quo* mediante dormitur, *anima eſt : non quidem vegetativa*, cujus officium non eſt ceſſare & quieſcere, ſed nutrire augere, vitam ipſam largiri, quod munus conſopitis nobis magis quam vigilantibus exercet. vid. Cœl Rhodig. *L. 30. antiq. lect. c. 6.* *Niſi* dicamus, plantas hiberno tempore, quando ſpiritum vitalem ad radices contrahunt, dormire, & Verno tempore reſuſcitari; quod Naturæ Sacerdotibus relinquimus. *Neque* tamen & *rationalis* anima cum materia & alteratione quidquam habet commune, officium etiam ab his operationibus, alienum; Unde Cicero alicubi dicit : etiam ſopito corpore animus vigilat; & Clemens Alexandrinus *ſecundo Pædagogo, cap. 9. f.* Non anima eſt, *inquit*, quæ ſomno indiget; ipſa enim ſemper eſt mobilis: ſed Corpus quod quieti traditur, reſolvitur, dum anima non amplius corporaliter operatur, ſed per ſe ipſa operatur & cogitat. conf. Ariſtot. *1. Ethic. 13.* Remanebit *igitur* ad animam *ſenſitivam* hoc pertinere : atque tanto firmius hoc credimus, quanto conſtat certius, cum ſumma dulcedine conjunctum eſſe ſomnum, teſte Ovidio :

*Somne quies rerum, placidiſſime ſomne Deorum :*
*Pax animi quem cura fugit, qui corpora duris*
*feſſa miniſteriis mulces, reparasque labori.*

Th. 10. *Ad quem* vero *ſenſuum* proxime *ſpectet*, videamus, Equidem plerapue animalia clauſis dorminant oculis, ſi leporem excipias, (de quo tamen dubitare licet) atque ſi cui palpebræ abſcindantur, vigillis exhaurietur atque enecabitur; ſed cum neque ſola oculorum occluſione ad ſomnum perveniatur, neque ſomnus in eo conſiſtat, cum non dormitet confeſtim quisque ut oculos

habet

habet clauſos. Quemadmodum Calbas Romanus, cum Mœcenatem nutibus videret ad uxorem ſuam alludere,ſenſim capite inclinato clauſisque oculis ſomnum ſimulavit. Cum autem interim ſervorum quidam ad menſam acceſſiſſet vinum ſuffuraturus, apertis oculis, perdite, inquit, an neſcis me ſoli dormire.Mœcenati? *Plutarch. in Amatorio, p. 760.* Unde proverbium: Non omnibus dormio ap. *Feſtum Ciceron.* Igitur ſoli ſenſui visus ſomnum haud attribuimus: nam ligantur & aures dormientibus nobis, ſoli tamen auditui ſomnum neutiquam adſcripſeris. Idem de guſtu atque odoratu ſtatuimus. Remanebit,maxime Tactum afficere: idque eſt quod ſupra diximus, molli frictione, ſuavi aurium per muſicam verberatione &c. ſomnum procurari.

Th. 11. Formam *Somni* fructra quæſiveris, cum ipſe potius ſui ſubjecti *forma* quædam ſit *accidentalis*, *ſeu* magis privatio & ſuppreſſio formæ oppoſitæ vigiliarum, jam vero non entis nulla ſunt prædicata. Habeat tamen aliquid quod rationem formalem ſubit, ſomnumque in eſſe ſuo conſtituit, quod *eſt ligatio ſenſuum omnium*; nictat enim caput, rigent oculi, torpent membra reliqua, fitque dormiens ineptus ad actiones vigilantium, defenſionem ſui, offenſionem aliorum &c, quam diu igitur durat hæc ligatio tanquam forma, tam diu & ſomnus tanquam formatum, ut ita Somnus ſit qualitas quædam afficiens ſuppoſitum illius capax, diverſificans illud ab oppoſitis vigilantibus, eisque certum aſſignans ſtatum, ut dormientes dicantur. Ita ut vigilantes & dormientes relative invicem opponantur.

Th. 12. Ad formam jungemus Adjuncta Loci & Temporis. *Tempus* dormiendi, propter certas cauſas, pro Gentium varietate, contingit variare, In noſtris Regionibus tamen plerumque eſt tempus nocturnum. Idem in Taprobane Inſula, unde quoque in proverbium fere abiit, quod ibidem nemini ſit ſervus; nec in diem aut interdiu ſomnus, teſte Plinio *l. 6. Nat. hiſt. c. 22.* cujus contrarium de Moſcovitis refert Adamus Olearius in *Hodeperico Rutheno-Perſico.* Alii de Aliis aliter. *Locus*, nihil aliud eſt, quam ſpatium corporis, rem ſibi impoſitam recipientis, & hic quoque variat, videndum tamen ut congruus ſit & ſecurus, ne, ſi

quis

quis contrarium faciens damnum incurrat, ipſe ſibi attraxiſſe dicatur.

Th. 13. Minus posſibile eſt, Materiam ſomni, tanquam privationis invenire. Sed *Objectum* ejus ſunt ſenſus ligandi, & vigilantibus conſuetæ corporis actiones impediendæ. *Cauſa finalis*, eſt corporis per actiones diurnas defatigati refocillatio, quæ obtingit nobis per quietem, qua continuum illud actionum interrumpitur, & priſtinæ vires reſtituuntur, conſeq. corpus duratione quadam potitur: & bene quidem, nam

*Quod caret alterna requie durabile non eſt.*

Th. 14. *Effectus alius* a parte corporis eſt, conſecutio videlicet eorum de quibus diximus; *alius* a parte animæ; ſicuti enim ſupra commemoravimus, vegetativa etiam nobis dormientibus operatur. & quidem longe fortius, quia liberius. Idem de anima rationali affirmat Scaliger *Ex. 289.* quod Somnus a Deo factus ſit non ſolum ad corporis recreationem, ſed etiam ad animæ libertatem: Nimirum non impeditur objectis ſenſuum, aliispue intervenientibus, ejus operationes turbantibus; unde eſt, quod per ſomnum videmur nobis libros evolvere, legere, meditari, ſubtilisſima facillime aſſequi & intelligere, quornm tamen expergefacti non recordamur. Et hoc inde eſſe credo, quia comitem non habet animam ſenſitivam; quorſum pertinebit quod dicitur: nihil eſſe in Intellectù, quod non prius fuerit in ſenſu.

Th. 15. *Oppoſitum* ſomni tanquam privationis, *ſunt vigiliæ* tanquam habitus, & ſtatus animantium ordinarius. Niſi enim quis oppido ſomnolentus, minimum diurnum tempus; Alii quoque magnam noctis partem vigiliis tranſigere, licet ſine diverſo, & ex diverſis cauſis ſolent; quosdam enim cura divitiarum haud ſinit dormire, ſunt alii heluones librorum, alios ex pacto & vi ſuſcepti officii excubias agere oportet. Unde *vigilias dividimus in* ordinarias, ſc. diurnas, *&* extraordinarias, ſc. nocturnas; vel in ſpontaneas & neceſſarias; vel in naturales & conventionales: has qui violat & transgreditur, intempeſtive dormiendo, reatum incurrit; ut infra patebit.

CAPUT

# CAPUT II.

## *De*

## Jure quod Dormientibus debent Vigilantes.

### Th. 1.

HIs prælibatis, applicationem ad Jus facturi ſumus, ubi ſtatim ſub initio ſeſe offert, miſeratione dignus dormientium ſtattus, quo mortuis ſunt ſimillimi, neque ſeipſos defendere poſſunt ſed ipſo quaſi facto Vigilantium provideutiam, curam, protectionem & ſecuritatem implorant: ſed quia corrupta poſt lapſum Protoplaſtorum natura raro gratis boni ſumus, bona plura non curamus, mala accerſimus, tantum abeſt, ut avertamus; ideo ad Magiſtratus officium delapſa eſt inſpectio & diſpoſitio, ne quid Dormientes patiantur mali, aut ſi quid temere fuit illarum, tanto vindicetur acerbius, quanto major eſt malitia: lædere innoxios, inermes, indefenſos & neſcios.

Th. 2. Duo igitur ſuut quibus *officium Principis circa Dormientes* abſolvitur. Avertere futura, Corrigere præterita: Illud Conſtitutionibus & Inſtitutis, h. e. tum ſalutaribus legibus ordinari, tum providis inſtitutis obtineri poteſt. Ad Leges pertinent ſtatuta ad ordinationes in gratiam dormientium ſancitæ: ao Inſtituta vero ipſa applicatio & legum exſecutio, per actualem in mores hominum introductionem ejus, quod lege conſtitutum fuit. Utrumque reperimus *in Rep. Romanourm*, ubi nocturni excubitores per ſingulas urbis regiones erant diſpoſiti, qui rapinas & incendia averterent, ut prolixe Paulus JCtus libro ſingulari *de Officio Præfecti Vigilum* tradit, idque inſtitutum D. Auguſto attribuit; quod confirmant etiam Dio *Caſſ. Lib.* 55. & Suetonius *in Auguſto cap.* 30. Sed brevius.

Th. 3. Idem Inſtitutum *hodienum per provincias & civitates*

 paſſim

paſſim obſervatur,& ſi gloriari velimus, cura elaboratiori, & additamentis novis. *Neque enim Vigiles* & nocturni excubitores *per vicos & plateas* cum hamis & dolabris, de quibus vid. Illuſtris Dn Strauch. *Diſſ. XX th. 14.* calceati & armati oberrare, turbas ſedare, incendia explorare atque indicare, temporum quoque momenta obſervare & denunciare ſolum juſſi ſunt, müſſen die Stunden ruffen: adeo ut alicubi interrogati, quota ſit hora? dubie vel nullatenus reſpondentes, mulctentur tanquam de ſomno convicti. *Verum in turribus excelſis* aluntur, qui nocte dieque circumſpicere & incendia campanæ pulſu ſignificare, & locum vexillo ſuſpenſo. vel ſi de nocte fiat, laterna exterius ſuſpenſa oſtendere, & in ſignum vigilantiæ ſuæ ſingulas horas earumque quadrantes inflatione cornu vel fiſtulæ indicare tenentur.

Th. 4. *Specitatim*, ubi majus atque diſtinctius certiusque imminet periculum, ſtudioſius quoque & cum ſolicitudine majori vigiliæ & excubiæ ordinanrur ac exiguntur. *In militia* excubiæ diurnæ & vigiliæ nocturnæ diſponuntur, non ſolitariæ modo, Schildwachten, verum & per univerſitates, Scharwachten, Gallis *Corps de garde*, denique proxime verſus hoſtem extremi ac deſperati vigiles, verlohrne Schildwachten. *Navigatio* inſuper accuratam requiret excubiarum obſervantiam, de qua conſul Civitat. Hanſeat. Ord. naut. *Tit. 4. art. 11. verb.* Es ſollen die Schiffkinder nach der zeit, wenn ſie zu Schiffe gangen, ſo wohl in den Häfen als in der See, die Wacht fleißig halten, nach Gelegenheit und Verordnung des Schiffers & ſeqq. *add. ib. art. 12. & 13.*

Th. 5. Quicquid igitur Dormientium ſive bonis ſive perſonis ſiniſtri accidit, per eos qui vigilant, vel certe vigilare debebant, hoc non reſarciendum modo, verum & reatum inducit tanto majorem, quanto nequior eſt malitia, inermes relinquere indefenſos, offendere vel aliis prodere. *Bonis dormientium inſidiantur. (1) Fures nocturni*, quos ea propter impune licet occidere, dum inclamati modo fuerint. vid. *l. 4. §. 1. ad. L. Aquil. l. 9. ff. de ſicar.* Magnif. Dn. Struv. *tr. de Vind. priv. cap. 4.* §. 10. Bachov. ad Treutl. *v. 2. D. 30 th. 2. lit. B.* Jus Friſ. Or *L. 3. Tit.* Gemeine Regula von allen Doetſchlägen *rubr.* noch van Doetſchlagen. (2) *Effractores* noctur-

nocturni, qui furandi cauſa parietes noctu perforant, quorum pœna eſt arbitraria vid. *l. 1. §. ff. de effract.* (3) Huc pertinent, *qui* in dormientis ſilva vites, arbores, ligna cœdunt, ſata depaſcunt, fructus lædunt, vel plancauferunt, de quibus agitur in *tit. ff. de Arb. furt. cæſ.* & P. H. O. *a. 167. ſeqq.* (4) *Piſcatores* nocturni quorum meminit Noah Meurer. *tr.* vom Waſſer-Recht. *Qu. 10. n. 7.* hiſce verbis: Sonderlich iſt auch das Nachtfiſchen ſchädlich, und in alle wege nicht zugeſtatten. Denn dieweil die Fiſche ſolcher Zeit den Saamen von ſich geben, und die Ruhe begehren, muß folgen, daß der Saame als unvollkommen zerſtreuet über ſich ſchwimme, und nicht zu fruchten komme. Wie dann die Fiſche für ſich ſelber durch das Nachtfiſchen erſchrecket, und unruhig gemacht werden. Denn ob wohl die Fiſche ihrer Art nach nicht wie andere Thiere ſchlaffen, gibt es doch die Erfahrung, daß ſie alſo in der Ruhe ſtehen, als ſchlieffen ſie, wie ſie dañ, ſo ein Tumult oder unverſehen Bewegung des Waſſers geſchicht, erſchrecken, hin und her ſchieſſen; Dahero dann geſchiehet, daß offtermahlen eine groſſe Menge der Fiſche mit dem Garne durch die Fiſcher bey dem Licht ümbzogen, als durch das Licht betrogen werden ꝛc. Puniuntur eadem pœna qua fures, P. H. O. *art. 169.* ibi: Welcher aus Weihern oder Behaltnüs Fiſche ſtiehlet, iſt auch einem Diebſtahl gleich zuſtraffen.

Th. 6. *Quieti* dormientium obficiunt (1) Graſſatores & ſomni turbatores, Nacht- und Gaſſen-Schwärmer, qui adverſus innoxios ſæviunt lapides, horridoque boatu vel mortuos reſuſcitare poſſent: *item* qui bombardas explodunt, tumultus & tragœdias excitare non erubeſcunt, quibus omnibus Carolum V. pœnam gravisſimam propoſuiſſe legimus. Cœleſtin. *in hiſtor. Comitior. Anno. 1539. p. 102.* Bernhard. Bertram. *de Comit. Imp. Rom. German. membr. 5. th. 59.* Adverſus quos varia locorum ſunt ſtatura & inſtituta. In Comitiis Francof. Anno 1612. Potentisſimus Saxo Elector, una cum Sapientisſimo Urbis Senatu ſequentia ſanxit: Es ſollen ꝛc. So ſoll ſich doch der oder die auff der Gaſſen ſonderlich bey der Nacht züchtig und gebührlich halten, auch nicht ohne, ſondern mit Lichte gehen, wo einer aber das nicht thut, der ſoll nach geſtalt der Sachen Überführung mit Ernſt geſtraffet werden. ap. Arumæum

mæum *tr. de Com. cap. 6. 399. & 400.* Simile Statutum Argentoratenſium recenſet *Nobil JCtus* Dn. Joh. Otto Tabor *in Armam. Juſtin, Tit. de Legit. arm. uſ. cap. 1. in f.* & Magnif. Dn. Mœv. *ad Jus Lub. L. 4. T. 15. art. 1.* Morem Hannoverenſium fuiſſe quondam Dn. Andr. Cruſius *tr. de Noct. c. 5. n. 6.* refert, ut quoscunque noctu ſine laterna Vigiles offendiſſent, eos confeſtim incarcerarent, cum præſumatur malum cum acturum eſſe, vel jam ſcortatum, aut furatum, fuiſſe, qui ſine laterna in tenebris ambularet, juxta: illud qui male agit lucem odit, *c. congruit. 24. X. de Offic. & poteſtate judic. deleg.* Quietem nocturnam turbant quoque (2) *Spectra,* quæ quidem Locator ædium expellere nequit: *Utrum* v. Conductor eapropter ante tempus renunciare poterit? vid. Cruſ. *de Nocte. c. 17. n. 4.* Magnif. Dn. Struv. *S. C. Ex. XXIV. th. 15.* Carpz *p. 2. deciſ. 136.*

Th. 7. *Famam* dormientium *invadunt, qui* noctu provocant Dormientes, variis convitiis proſcindunt, libellos famoſos, & turpes picturas, imagines obſcenas, vel ædibus eorum illinunt, vel publicis locis affigunt; Sed præterquam quod quadem retaliatione iidem Vigilum inſidiis ſunt expoſiti; Conſtitutionibus inſuper Principum de *famoſis libellis* ſubjacent. *Famam & perſonam ſimul* lædunt, qui fœminas Vino prius ſopitas vitiant & corrumpunt, ſimiles pene his qui mente captas ſtuprant, de quibus Conſtit. Elector. *26. p. 4.*

Th. 8. *Perſonis* debita *ſecuritas violatur,* ſi quidquam in corpore vel vita inferatur dormientibus v. gr. Crines in capite vel barba radanturur, antur, vulnus infligatur, vel quid amplius. De his diſponit Ius Friſonum Orient. *Lib. 3. tit.* von den Wundingen in einem ſlaſſeken Lith. Ubi ob crines dormientibus detonſos vel aduſtos ſeptem ſolidi pro mulcta dictantur. *p. m. 458.* Si quis dum rerum ſuarum ſatagit, ſuaque negotia gerit, lædatur aut vulneretur, mulcta conſueta duplicatur, ſin dormienti quid horum inferatur, tertia parte amplius punitur. *ibid. p. m. 446.* Nimirum, domus ſua cuiq; tutiſſimum refugium *l. 18. ff. de in J V.* multo magis in lecto decumbens ab omni violatione ſecurus eſſe debebat; hinc vulnerationes in lecto inflictæ quadruplo æſtimantur *ibid. p. 444. ſub Tit.* van veervolde, drevolde ende dobbelde Boete. Jure Lubecenſi

bencenſi capitale hoc eſt. *Lib. 4. Tit. 8. a. 5. verb.* Wann einer vorſetziglich mit ſeinen Helffern und Helffers-Helffern in eines Bürgers Haus fiele, und ſchlüge den Wirth oder ſein Weib, Geſinde, Inwohner oder Gaſt, und wird betroffen, der ſoll an ſeinem freyen Höchſten geſtraffet werden, mit allen denjenigen, die da mit und neben ihme geweſen, und die Gewalt üben helffen. In offenen Krügen aber, ob ſich wohl Schläge mit dem Wirthe, ſeinem Weibe, Geſinde und liebenden Gäſten zutrügen, ſo iſt doch daran kein Hausfried gebrochen es wäre dann es geſchehe in ſeiner Stuben, Schlaffkammer oder Bette, daran iſt auch das Leben verwircket.

Th. 9. In Saxonia tamen capitale haud eſſe videtur, ſicuti Carpzov. tradit *ad p. 4. C 43. d. 3.* Cuidam, qui Quæſtori Sachſenburgenſi, Magiſtratui ſuo, citra omnem cauſam ex malitia ſub primo conticinio vulneja atque verbera ſecuri quadam inflixerat enormia, Scabinos Lipſienſes *M. Majo 1630.* relegationem perpetuam cum fuſtigatione dictaſſe, verba ſententiæ merentur huc apponi: Dieweil inquiſi F. B. nicht in Abrede ſeyn kan, daß er dem Schöſſer zur Sachſenburg, die an ihme befundene gefährliche Schläge und Schäden mit einem Beile bey nächtlicher Weiſe, als er im erſten und beſten Schlaff gelegen, ohne alle gegebene Urſach vorſetziglich und gefährlicher Weiſe behafftet und zugefügt, rc. So wird er deswegen öffentlich billich zur Staupen geſchlagen, und darauff des Landes ewig verwieſen rc. V. R. W. quod repetit Id. *pr. Cr. qu 100. n. 18.*

Th. 10. Poſt Magiſtratum etiam *privatæ* dantur perſonæ, *paulo arctius dormientibus obligatæ.* v. gr. (1) *Servi Dominis.* Sic apud Romanos SCto Silaniano cautum, ut teſtatore vi occiſo hæreditatem cernere liceret minime, prius quam de ſervis quæſtio publice haberetur. v. *t. t. ff. de SCto Silan.* ibique Dd. (2) *Conjuges invicem,* quippe qui conditione & ſtatu ſuo exigente non poſſunt converſationem & commercia mutua evitare, coguntürque reciprocæ fidei ſe committere. Si itaque uxor in lecto noctu penes maritum interfecta, vel viceverſa maritus occiſus reperiatur, oritur præſumptio violenta adverſus ſuperſtitem, eum ad minimum conſcium tanti ſceleris eſſe, nec enim tam profunde dormire po-

tuit, aut ſi non dormivit, cur auxilium non tlit? cur opem domeſticorum nou imploravit? Hinc uxor ap. Quintil. noctu lecto maritum ſuum interficiens, ut præſumeionem hanc averteret privignum ſuum eundemque cœcum homicidii reum facere voluit, contra quam pro privigno elegantem declamationem habuit Quintilianus. Notum quoque eſt *ex Dubravio Olomucenſi Epiſcopo l. 2. hiſt. Bohemic.* quando mulieres Bojemicæ inſtinctu Ulaſtæ animoſæ fœminæ & principatum affectantis noctu una ſomno ſopitos interfecerint maritos ſuos. Nec alienum forte ab hac materia erit exemplum quod ante paucos annos Wittebergæ obtigit, ubi Contubernalis Diaboli inſtinctu Contubernali dormienti novacula guttur abſcidit.

Th. II. Quanta vero cunque dormientibus debeatur ſecuritas, dantur tamen nihilo minus aliqui ab ea *excluſi*, quod vel propriæ relinquantur defenſioni, vel ea cenſeantur indigni. Sic licitum eſt *Hoſtes* obruere incautos atque conſopitos, ſive id fiat aperte, ſive per Stratagema: quod probamus rationibus atque authoritate, illuſtrebimus vero exemplis. Licita eſſe Stragemata, Inſignis ille Politicus Schonbornerus *Lib. 6. c. 27.* oſtendit; ſed & dudum ante eum D. Auguſtinus cenſuit, Cum juſtum ſuſcipitur bellum, utrum aperto quis vincat marte, an v. per inſidias, ad juſtitiam parum referre. *c. Cominus. 2. XXIII. q. 2.* Nam qui ſuo utitur jure, nemini facit injuriam *l. 3. §. 2. ff. de lib. hom. exhib. l. 13. §. 1. l. 33. ff. de Injur. l. 26. ff. de damn. inf.* nec pœnam meretur qui lege permittente facit *l. 4. C. ad L. Jul. de Adult.* Licitum quippe unicuique pro commodo vigilare, utcunque alterius ſit damnum. *l. 24. in f. l. 6. §. 7. ff. Quæ in fraud. Credit. l. 8. C. de Servit. & aq. l. 1. § 7. ff. Ne quid in flum. publ. l. 1. C. de alluv.* damum quippe facere non videtur, niſi id, quod facere jus non habet. fecerit. *l. 55. & l. 151 ff. de R. J.* Neque eſt de quo conquerantur hoſtes, quibus idem adverſus nos licuit, quod ergo quisque juris in alios licere ſibi ſtatuerit, id ab iisdem pati ne gravetur, ut cui integrum fuit adverſus inſidias noſtras ſe communire; ſuæ itaq; improvidæ imputabit negligentiæ, quod vel non antevenerit, vel non vigilantius cuſtodierit.

Th.

Th. 12. Neque deſunt exempla ſive poſtremæ antiquitatis, ſive noſtri ſeculi: quot Civitates cæteroquin inexpugnabiles, quot inte vros exercitus invictiſſimos de cætero, non ſomnus prodidit? Trojam nocturno Stratagemete ſubegerunt Græci, quod *Virgilius Lib. 2. Æneid.* haud inficiatur. Dormientes Aſſyriorum Duces belli, Siſſeram Jael, nec non Holofernem Juditha, Heroiſſæ obruerunt, vid. *Judic. IV 21. Judit. XII. 10.* Præternavigabimus ſcopulos illos ad quos Galli 1282 in Sicilia illiſi, Siculi veſperi proverbio nomen dederuut. de quo Thomas Lanſ. *Orat Contra Gall p. m 212 ſeq.* Quæ noſtris temporibus contigerunt, in omnium recenti adhuc ſunt memoria, neq; indigent noſtra recitatione. Hoc unum exigimus *temperamentum, ne* ſtratagemata *doli ſiunt*, quos paſſi ſunt Bœotici a Thracibus, dum novem dierum, videlicet naturalium, pacti fuerant inducias, ſed cum noctu ab hoſtibus contra pacta oppreſſos ſe conquererentur, dierum inducias, non noctium datas fuiſſe, reſponſum tulerunt. Wiſſenb. *ad L. 2. de V. S. num. 10.*

Th. 13. *Juſtitia Cauſa* latet in eo, quod duæ Reſp. Populi vel Monarchæ bellum invicem gerentes, non actionibus experiri poſſint in judicio, quia ſuperiorem non agnoſcunt, coram quo per viam juris procedere poſſint, ſed ſpem & Juſtitiam in exitu belli & victoriæ ponunt, & via facti procedunt, lex enim naturæ defenſionem permittit. *l. 3. ff. de J. & J.* Jam vero Lex permisſiva non obligat agentem ad hoc ut agat, ſed diſponit ne agere volens impediatur. Illuſtris Dn. Strauch. *in aurea Diſp. de Conſtit. Princip.* Pomerſch. *ad ſ. 2. J. de J N. G. & C.*

Th. 14. Communi Dormientium Securitate indigni ſunt *Delinquentes*, quod ob periculum fugæ & evaſionis Magiſtratui licet etiam dormientes capere, maxime ſi & metus ſeditionis ſubſit, ne plebs mane expergefacta in jus ducendum vi eximat. *Neq.* ullam injuriam ſibi factam juſte conquerentur, quia quæ jure Magiſtratus & Poteſtatis fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent, nec juris exſecutio injuriam in ſe continet. *l. 13. §. 2. & 6. ff de Injur. Neque* adverſus Lictores inſidiantes e ſomno turbati ſe defendere juſte poſſunt, ſed impune occiditur, qui cum capiendus

eſſet,

eſſet, reſiſtit ne capi poſſit. v. P. H. O. *a. 150. verſ.* So einen ie- mand von Amptswegen ꝛc. a priori vero non delinquendo, vim omnem Magiſtratus enervare permittuntur. Juſto enim non eſt Lex poſita.

Th. 15. Hæc de Securitate *dormientibus* debita. *Debetur* porro iisdem & *Pietas*, maxime ſi conſideremus homines in ſpecialisſimo Chriſtianitatis ſtatu, quippe ibi jubemur pueros quoque Chriſto adferre, & mature quidem, ob periculum animæ. *Unde quæritur,* ſi periculum ſit in mora, Num baptizandus ſit dormiens? Reſpondet Innocentius III. *in c. majores 3. x de baptiſmo.* Diſtinguendo *inter* Dormientes Contradicentes & Dormientes Conſentientes: Quod contradicentes negat: Licet enim ſic baptizati, non quoad rem, ſed quoad Characterem ſaltem, ita ut ad jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinere videantur, unde ad ſervandam regulam fidei Chriſtianæ forent rationabiliter compellendi, recipiant ſacramentum, cum ex mente non nullorum ſacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut baptiſmus & ordo, non ſolum dormientibus, ſed & invitis & expreſſe contradicentibus, quoad characterem conferri poſſint. Id tamen (ſunt verba Innocentii) religioni Chriſtianæ contrarium eſt, ut ſemper invitus & penitus contradicens ad recipiendam & ſervandam Chriſtianitatem aliquis compellatur: unde ille qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem nec characterem ſuſcipit Sacramenti: quia plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire, ſicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens & reclamans thurificare Idolis cogitur violenter; Dormientes itaque, ſi priusquam dormirent, in contradictione perſiſterent. fuerint ſubmerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti, & per conſequens fruſtra baptizantur. conf. Tholoſan. *Synt. J. U. lib. 2. c. 4. n. 14. f.* Quoad *Conſentientes* affirmat, diſtinguit tamen, quoad effectum baptiſmi, inter ſpontaneo motu ſive abſolute & hypothetice ſ. conditionaliter conſentientes.

Th. 16. *Conditionaliter* ſive hypothetice *conſentientes*, qui ſc. ad evitandum aliud incommodum v. gr. Verbera ac ſupplicia, conſentiunt, cum conditionaliter ſaltim velint, & abſolute diſſentiant, quantum ad rem ipſam, ſive quod effectum baptiſmi

forma-

formalem, remiſsſionem ſc. peccatorem, Sacramentum Baptiſmi non recipiunt. Sed ſaltim Characterem, (ſicut & ii, qui ficte ad baptiſmum accedunt) ſuſcipiunt Chriſtianitatis impreſſum, ita ut cogendi ſint ad obſervantiam fidei Chriſtianæ; Et ſic intelligi debet decretum Concilii Toletani, ubi dicitur, quod qui jam pridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, (non ſimpliciter ſed hypothetice) ſicuti factum eſt temporibus religioſisſimi Principis Siſibuti, quia jam conſtat eos Sacramentis divinis aſſociatos & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, (ſunt verba noſtri capituli) & corporis Domini extitiſſe participes: oportet etiam, ut fidem quam necesſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphementur, & fides quam ſuſceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.

Th. 17. *Conſentientes* vero Spontaneo motu & *abſolute*, ſi ſc. prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi, dormientes baptizati totalem ac verum ſuſcipiunt baptiſmum; tunc enim characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem, unde tales in necesſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare. *Catechumenti* vero ut cum Illuſtri Dn. Strauchio *in prælect. publ. MSS. ad Decret. diſt.* 57. verba faciam, erant, qui fidem Chriſtianam complexi, necdum tamen baptizati, ſi in morbos inciderent, in ipſa ægritudine baptizabantur. Erant quoque alii, qui profeſſione quidem Chriſtiani, & pietatis doctrina inſtructi, jam ad extremum usque ætatis baptiſmum conſulto protendebant, ſimul baptizari & mori volentes, ne poſt bâptiſmum iterum peccarent. Sic Conſtantinus Imp. extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus eſt. Euſebius *l. 4. Vitæ Conſtant. c. 62.* Patrem ſecutus Conſtantinus itidem ſub exitu vitæ voluit baptizari, teſte Athanaſio *de Synodis*. Verum hæc baptiſmi dilatio faciebat, ut multi ſubita morte intercepti, baptiſmo non potirentur, de quorum ſalute tamen Vetus Eccleſia benè ſperavit, rati votum ac deſiderium accipiendi, vim baptiſmi habere, & Catechumenos ob Chriſti fidem interfectos, baptiſmo ſanguinis vel

martyrii, cœteros baptiſmo flaminis ſine aqua regeneratos, ſtatuerunt: Omnes hi vocabantur Clinici.

Th. 18 Denique *debetur dormientibus* quoque *Humanitas*, ſeu Commiſeratio, videlicet quando in ſomno quidpiam egerunt, quod Vigilantibus imputaretur in peccatum: condonatur autem, quod mentis tunc non ſatis fuerint compotes. De hoc tamen argumento in præſens non ſumus acturi, quia commodiorem habebit ſedem inter jura quæ dormientes debent Vigilantibus, dormientibus aliis, vel ſibimet ipſis.

# CAPUT III.

*De*

## Jure, quod Dormientes debent aliis.

Th. 1.

QUod Vigilantes aliquid debeant Dormientibus, mirum non eſt; cum ratio id doceat, ut quanto quis aptior eſt & inſtructior, tanto plus obligetur debilioribus impertire, cum non tam ſui, quam aliorum gratia Deus & natura hæc dona conceſſerint. *Utrum* vero aliqua *in dormientes cadat Obligatio*, & iſti ullius debitores exiſtere queant, nunc videbimus. Omnis Obligatio debet ex facto oriri, ſive nocivo ſive innoxio: ſi ergo actus quosdam exercent dormientes, aut facta patrant, videntur ſubjectum Obligationis receptivum eſſe. *Actus alii (1)* ſunt abſoluti & naturales. v. g. ambulare, loqui, prehendere &c. Ecquis vero eſt, qui ignorare ſe fateatur, vel negare auſit, hos & ſimiles a plurimis dormientibus ſæpiſſime fuiſſe exercitos: quid notius eſt, quam aliquos in ſommo loqui, adeo articulate & diſtincte, ut intelligi optime poſſint; adeo convenienter etiam & appoſite, ut nec vigiles rectius aut verius dicturi ſint; Quot reperti ſunt qui noctu e cubito ſurrexerunt, atque per ea loca mearunt, quæ vigiles abhorruiſſent, quæq; vix credunt teſtes oculati; & quidem citra trepidationem

tionem & periculum. Sic ap. Dn, Senneum *Paralip. IX. ad Lib 1. Pract. Medic* Henricus ab Heer *Obſerv Medic. oppido rarar. 2. refert, Juvenem quendam, cum in celebri Academia Poeſin profiteretur, interdum mentem in omnia verſaſſe, ut verſus melius elaboraret, ſed quod vigil nequiverat, noctu præſtitiſſe, ſurrexiſſe, pluteum aperuiſſe, ſcripſiſſe, ſæpe alta voce, quod ſcripſerat, relegiſſe, demum eum riſu & cachinno ſibi applauſiſſe, atq. Contubernalem ut ſecum plauderet, hortatum eſſe, poſitisque ſandaliis & veſte, clauſo pluteo, chartisque ut veſperi, fecerat, repoſitis, lectum repetiiſſe, ſomnumque dum excitaretur, protraxiſſe, omnium quæ noctu legiſſet, ignariſſimum: mane pridiana ſollicitudine adhuc laboraſſe, quomodo hiatus verſuum repleret. Cum vero charteas ad ſuum libitum impletas, idque ſua manu, videret, attonitum quaſi & ſollicitum fuiſſe, bonine an mali genii opus eſſet. Idem, cum uxorem duxiſſet, eam tamen, ut fert Conjugii conditio, quædam celarat, quoties noctu, infantem cunis ereptum ut plurimum geſtans, domum perambulabat, comitanti per omnia uxori, quæcunque rogatus patefaciebat, & ad omnia uxoris quæſita veriſſime reſpondebat, ita ut ex ambulante & quaſi dormiente, quæ a Vigili mulier nullis extorſiſſet illecebris aut artibus, quæ rogare erubuiſſet, ſimplici interogatiuncula ſincere & ſine fuco intelligeret, mirante poſtea ſomnambulo, quomodo quæ ſecretisſima habebat, in uxoris cor liguamque veniſſent.* Per multa alia exempla habent Dn. Schenckius *Lib. 1. Obſervat. 127.* P. Salius Diverſus, *Medicus ac Philoſophus Faventinus, de Affectibus particularibus cap. 18.* Jacobus Horſtius *Medicus Helmſtadienſis, tractatu de Natura, Differentiis & Cauſis eorum, qui Dormientes ambulant. cap. 1.*

Th. 2. *Alii actus (z)* ſunt *relativi*, obligatorii & Juridici, v. gr. prehendere cultrum, ambulare ad lectum alterius, pungere & ferire pulvinar; quales exercuit *Fundiſalvus* ap. Mart. Delrio *diſquiſit. Magicarum l. 1. c 3 q 2. fol. 15 poſter. edit. in 4. In quodam,* inquit, *Religioſorum Collegio, erat Laicus unus, ſolitus inter diu pueros rudimentis Catechiſmi imbuere: cogitationes eædem dromienti recurrebant, ita ut in ſomnis & præcineret, & doceret, & hortaretur, & increparet pueros, æque clamoſe & ferventer ac ſolebat inter-*

*minatur, ſipergat hoc clamores edere, ſurrecturum ſe noctu, & ad thalamum ejus iturum, & flagello ex funiculis intemperies haſce abacturum.* Quid Fundiſalvus? *ſic enim vocabatur; ſurgit circa noctis medium dormiens, & egreſſus, ut decubuerat in indaſio, cubiculum fratris Collegæ ingreditur, manu forfices ferens & præſentant, & recta ad lectum alterius, qui ei fuerat interminatus, contendis. Vide Dei providentiam! Luna lucebat, & nox innubis erat, & frater iſte vigilabat, videt accedentem, & celeriter de lecto ſe dejecit, qua paries erat non nihil remotior. Noctambulus proximus forficibus culcitram ter quaterve petit, & confeſtim redit unde venerat. Mane facto interrogatus, negat ſe meminiſſe, neque id facere unquam in animum vel leviter induxiſſe; tantum cogitaſſe ſi alter cum flagello ad ſe accederet, illum intentatis forſicibus perterrefacere & abigere.*

Th. 3. *Nimirum* anima Vegetativa, ne noctu quidem & dormientibus nobis, quieſcit, ſed liberius magis operatur tunc, quando neque externis abſtrahitur objectis, neque animæ rationalis impeditur imperio: Vigilantes, quid agendum omittendumve, ponderare, & quod tutisſimum eſt, ſeligere atque imperare posſunt; conſopitis nobis ab hoc imperio libera ſibique relicta eſt vegetativa, quare ad conſurgendum & decumbendum, ambulandum, loquendumve & reliquos actus naturales & animales exercendos longe promptior exiſtit. Inſimulque ſenſus internos excitat & in conſortium invitat, ut noctambulus eorum quæ vigilans ante geſſerat, recordetur, interrogatus de iis reſpondeat, res obvias per ſenſum communem apprehendat, dignoſcat, ubi phantaſia ſemel habenas amplexa, omnia animæ rationalis & vigilantium opera tanquam Simia imitatur, vel ut Mimus in theatro repræſentat. Quin anima ipſa rationalis huic ludo ſ. fabulæ intereſſe ſuasque partes agere videtur: Facultates ſ. partes ejus potentionales ſunt Intellectus & Voluntas. Quomodo vero Poeſeos ille Studioſus de puo *th. 1. hujus cap.* carminum hiatus ſarcire, aut maritus poſtmodum ſciſcitationibus uxorculæ facere potuiſſet ſatis, ni intellectu fuiſſet potitus? Voluntatem, ſi non offen-

offendendi, certe ſe defendendi Fundiſalvo, de quo *theſi praced.* ſuoiſſe, pene ſerio dixerim.

Th. 4. Hinc in ſpecie *Quar.* *Utrum* dormiens ex contractu vel delicto in eo ſtatu celebrato admiſſove, ad ſolvendum aut pœnam luendam obligetur? Pro cujus quæſtionis evolutione ſupponendum in genere, quod certo conſtet: Dormiviſſe alterum vel utrumque. Nec nudæ aſſertioni ſtandum, præprimus ſi ulla ſuſpicio vel ex vita perſonæ ante acta, vel ex qualitate negocii peracti Promineat, ſomnum ſaltem in ſpeciem allegari; & notabile eſt, quantum ex lectione Authorum noſtri argumenti licuit obſervare, nondum conſtat, an ullus Somnambulus concubitum cum fœmina exercuerit, cum non potuerit non, ſi dormiviſſet, exinde evigilare. prudens igitur *Judex, concludenter jubeat probare* (1) Conſuetudinem ſurgendi e lecto & ambulandi per cubiculum & ſimilia his gerendi, quæ delinquentem geſſiſſe conſtat: non enim veriſimile eſt, hoc in non aſſueto de facile potuiſſe accidere, cum & ii ipſi, qui aſſueti ſunt, non ſubito ſed paulatim aſſueſcant. (2) probare debet nullum adfuiſſe impedimentum in accedendo ad lectum vel cubiculum occiſi, vel læſi: cum intercedente aliquo impedimento facile expergiſci potuiſſet. v. g. ſi portæ quæ cum difficultate paterent, fuiſſent aperiendæ. (3) Omnia Requiſita v. g. Arma ipſi fuiſſe in promptu, nec difficilis apprehenſionis, nec difficilis tractationis; nam in difficili eorum apprehenſione & tractatione facile expergiſci potuiſſet. de quibus omnibus videri poteſt Paul. Zacchias *Quæſt. Medico-Legal. L. 2. T. 1. q. 12. à n. 19 ad. 22.*

Th. 5, Quibus probatis ac præmiſſis *Dicimus* (1) Dormientem ex contractu in eo ſtatu celebrato neutiquam obligari. *Ratio decidendi* ſumitur ex illo principio, quod nihil ſit in Intellectu,

*n.10.* Unde ſomnus naturalis quædam dementia dici poteſt, connumerandique furioſis, ac abſentibus æquiparandi Covarr. *in cap. ſi furioſ. de Homicid. Relect. part. 3. §. un. n. 6.* Menoch. *de arbitr. l. 1. caſ. 327. n. 5.* Sicuti jam furioſi nullum negotium peragere poſſunt. *l. 40. de R. J.* ita nec Dormientes contrahere, neque ſe obligare, neque conſentire, neque quodvis negotium gerere poſſunt.

Th. 6. *Concludimus* (2) neque Confeſſionem in ſomno, ſive de Contractu ſive delicto factam, vel probare aut nocere poſſe: ne quidem ad indicium capeſſendum; Licet enim in ſomno, ob ſpirituum tenuitatem ac puritatem & excedentem calorem homo ea facere ac dicere videatur, quæ extra ſomnum faceret diceretque, ac ratio videatur ſui juris eſſe; tamen quoad externa agenda vere ſopita eſt, ut dormiens voluntate careat, ita ut neque loquatur, neque faciat, quod mens & voluntas facere ac dicere dictaret, ſed prout phantaſia varias rerum imagines rationi offerens, ex iis etiam ea, quæ neque ſunt, neque ullo modo fuere, dormientem interdum effutire cogit. Vid. Zacchias *Quæſt. Medico-Legat L. 2. T. 1. q. 12. n. 9* ut itaque hæc confeſsio (ſi aliqua dicenda, cum non ex ratione proveniat) ſit erronea, quæ non nocet, cum confiteri non videatur, qui errat. *l. 2. de confeſſ. l. 7. C. de Juris & fact. ignor.*

Th. 7. Quod ad Delicta attinet, quanquam porro videatur ſtatuendum, ne committi quidem ab illis, conſequenter nullam adverſus eos ad pœnam oriri obligationem; Melioris tamen Intellectus gratia tres caſus ſeparabimus. *Actus* enim qui videntur *peccaminoſi, vel* ſunt immanentes, & ad ſolos ipſos referuntur Dormientes, *vel* ſunt tranſeuntes, hoc eſt, foras exeunt & proximum revera lædunt, *idque vel* directo & immediate, per cauſalitatem naturalem; *vel* indirecte, mediate ac moraliter, per occaſionem & occaſione ſomni.

Th. 8. *Ad primigeneris actus* referimus Pollutiones nocturnas; de quibus, utrum peccata ſint, & in Conſcientia reatum inducant? circumſpectæ conſiderationis eſt; & Diſtinguendum, an pollutio ex naturæ ſuperfluitate ac imbecillitate, an vero ex cogitatione Vigilantis oriatur: Si ex naturæ ſuperfluitate ac imbecillitate,

litate, nullum erit qeccatum, puia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt quam feciſſe *c. 1. diſt. 6. Niſi (1)* Animi ſuperfluitas vel Imbecillitas ex crapula ac nimia in ſumendis alimentis gulæ indulgentia, ita ût humorum receptacula graventur, oriatur, exiude enim animus aliquem reatum ſibi acquirit *d. c. 1.* (2) *Niſi* Pollutio hæc ob delectationem dormienti placeat Illuſtris Dn. Strauchius *in prælect. publ. MSS. ad Decreta diſt. 6.* & ab Ipſo *allegati Autores.* Voluntas enim ſic quaſi retro trahitur, ut idem ſit ac ſi præcesſiſſet. Si vero ex turpi cogitatione Vigilantis, oriatur illuſio in mente dormientis, quia ſic procuratur, peccatum erit, Illuſtris Dn. Strauch *d. l.* videt enim a qua radice inquinatio illa proceſſerit; quia quod cogitavit ſciens, hoc pertulit neſciens, *d. c. 1.* ac licet peccatum non ſit, quando nolentes imaginibus noctu rnis illudimur, eſt tamen peccatum, ſi antequam illudamur. cogitationis affectibus prævenimur. *c. 3. diſt. 6. Excell.* Dn Præſes *ap. Magnif.* Dn. Richter *p. 1. Deciſ. 1. n 187.*

Th. *9. Ad Secundi Generis* delicta referimus Verba injurioſa, occiſiones & homicidia in ſomno perptrata : ubi ex ſupra traditis principiis porro concludimus, quod Dormiens vel Somnambulus alterum injurians, nec actione injuriarum conveniri poſſit, per tradita a Weſenb. *paratit. ad ff. tit. de Injur. n. 4.* conf. Dn. Philipp. *in Uſu pr. l. 4. Ecclog. 21.* nec homicida dicendus, nec ob homicidium puniendus veniat. Cum enim animus ac propoſitum delicta conſtituant. *l. 11. ſ. 2. ff. de Pœnis. l. 1. §. 3. l. 7. ff. l. 16. de Sicatiis.* Is autem animus ac Voluntas in Dormientibus non adſit, ſecundum tradita *th. præced. 5.* hiuc illos de homicidio ut tali non teneri, perſpicuum eſt. vid. Ord. Crim. Caroli V. *art.*

tem diei puerulum peremerit, homicidam ſe eſſe excuſare nequibit? *d.c.20.* Si vero Mulier ſive nutrix inebriata in lecto infantulum opprimat: Dehortata tamen ne in lectum ſumeret; merito extra ordinem punitur. *arg. l.3. § 2. & l. 4. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Tholoſan. *Syntag. J. U. l. 36. c. 24.* conf. Excell. Dn. Præſid. *ap. Magnif.* Dn. Richter. *part. 1. deciſ. 1. n. 186.* Hactenus enim eſt in culpa, quæ excuſationem per omnia non meretur: ſed tantum pœnam mitigat. *l. penult. ff. de incend. ruin. naufrag. Clement. unic. ext. de homicid.* Hinc Obſtetrici inebriatæ, contra prohibitionem parentum, puellam adhuc lactantem in lectum recipienti & eam opprimenti, fuſtigationem cum perpetua relegatione fuiſſe adjudicatam, teſtatur Quirinus Kubach *cent. 1. Qu. illuſtr. Politico-jurid. decur. 8. quæſt. 5.* ubi ſubjicit: matrem infantulum in lectulum recipientem, & ob laſſitudinem forte dormientem ac infantulum opprimentem, excuſari: eo quod culpa caruerit: & dormiens mentis compos non cenſeatur. *per all. text. in Clem. un. x. de homicid.* conf. Dn. Harpprecht. *Tom. IV. ad §. 11. Inſt. de Injur. n. 10. ſeqq. & ab eo alleg. Auth.*

Th. 11. *Quid ſi* quis Ipſe in ſomno manus intulerit ſibi: utrum αὐτόχειρ dicendus, ad effectum ſtatuendi contra eum, ſicut ordinarii juris eſt? Quod negandum videtur. In dormientibus enim (1) deficit judicium rationis. (2) adeſt in ipſis naturalis imbecillitas, quæ excuſationem meretur. (3) Comparantur furioſis ac mortuis. (4) quia excuſantur ab homicidio, quod facilius admiſſuri ſunt, quam propricidium, cum majorem juſtitiam ac charitatem debeant ſibi ipſis, quam aliis. Si enim id non punitur quod facile contingere poteſt, multo minus id quod difficilius. arg. *l 3. ff. d. LL.* ideoque pœna Propricidii non ſunt afficiendi, ſed ad bonam Eccleſiæ ſpem de ſervatis animis, licet corpora

*Ex ſciontia*, ſic odcidens conſuetudinem, quod ſc. de lecto in ſomno ſurgat, arma capeſſat obvioſque petat, haud ignoraverit, nec tamen de removendis armis, vel de ſe ligando ac vinciendo, quo minus ſurgat, curaverit. Tales enim dormientes, qui noctu ſurgunt, & hominibus damnum inferunt, inſtar furioſorum clauſtris ac cancellis, ne dum vagantur liberi, & ſibi & proximo incauto noceant, cuſtodiendi ſunt, *argum. l. 14. ff. de Offic. Præſid.* neque excuſantur, cum de conſueto ac futuro malo præſcii ſint. Bart. *in l 9. ff. ad L. Pomp. de Parr.* ubi tales Dormientes confert cum iis, qui arborem putando aliquem lædunt, & prius eundem prætereuntem non præmonuerunt, ut ſibi caveret. qui ob ſilentium ſuum, & ob non præcautionem, tenentur ex culpa. *l. 31. ff. ad L. Aquil. Ex Ira* provenit culpa, ſi Somnambulus ſuæ conditionis haud ignarus, cum inimico, non obſtante præcedente rixa, ſciens ac prudens in eadem domo aut in eodem cubiculo dormiverit, neque ob hanc commoditatem arma abſconderit, *arg. l. 25. §. 4. ff. Locat.* Nam licet alias e lecto ſurgens arma ſumere non ſoleat, facilius tamen hoc evenire poteſt, ex præcedente inſigni ac vehementi animi paſſione, ut jam firmis imaginationibus & phantaſmatibus irritatus hæc arripiat, præſentemq; inimicum interficiat. conf. Zacchias. *d. l. n. 14.*

Th. 13. *Excuſandus* (II) eſt dormiens in ſuo commiſſo, ſi non dolus aut anteceſſerit aut poſtea ſupervenerit. Hinc ſi dolo malo ad cædem committendam oſtium ſibi patere curavit, ea ſpe fretus, fore ut tali modo excuſaretur, ordinaria homicidii pœna in eo locum habebit. *l. 7. ff. ad L. Corn. de ſic.* Idem obſervandum ſi ex poſt facto Voluntas ſupervenerit, approbando ſcil, id in vigilia, quod in ſomno factum dicitur, quod contingit ſi voluntas non abhorreat objectum, aut ſi facta intellectus operatione, nihilominus perſecutura objectum fuiſſet. Vid. Excell. Dn. Gœzius Moral. P. P. *in Prælect. ad Grotii Enchirid. princip. Juris Nat. c. 11. §. 11.* Cum enim ſic adſit ipſum factum tanquam materiale, ac valuntas tanquam formale, non poteſt non adeſſe ipſum homicidium formaliter tale. Ac ſicut is, qui prætervolantem avem lapide excipere cogitat, caſu vero contingente novercam interveni-

entem

entem percutit, ac re comperta clamat, ne ſic quidem male, Plutarchus *de Tranquillit. animi p. 52.* non excuſatur quod caſu novercam læſerit, ſed pœnæ reus eſt: ita quoque Dormiens dum exſuſcitatus factum approbat, a crimine immunis non erit. Paul Zacch *d. l n.22.*

Th. 14. *Ad tertii generis actus* qui videntur peccaminoſi, referimus *damna quæ accidunt* aliis occaſione dormientium, anſam damno præbentium, vel ſane non præcaventium. Quorſum pertinent omnes, qui a ſomno, cujus occaſione damnum contigit, abſtinere, aliisque vigilias præſtare debuerunt, idque vel ex Officio vel ex Conventione *Ex Officio* ratione Loci & quidem vel Sacri, ut Auditores Verbi divini in Templis, vel Profani tam Judicialis ut Judices, Aſſeſſores, Senatores, quam Extrajudicialis, ut reliqui. Ratione Temporis ut Vigiles (1) militares ſumilites in Excubiis. De quorum pœna vid. Ordinationes Bellicæ. Ap. Belgas capitalis eſt ſecundum Hollandiſch Krieges-Recht *art. 27. verb.* Ein Soldat der auff ſeiner *ſentinelle* oder Schildwacht ſchlaffend gefunden wird, ſoll ohne einige Gnade am Leben geſtraffet werden. De Moribus Romanorum conf Gregor. Tholoſan. *de Rep. l. 11. cap 9. numer. 9.* & Idem *in Syntag. Juris Univerſi part. 2, l. 19. cap. 11. num. 3.* (2) Vigiles in altis Turribus die Thürmer. (3) Vigiles Nocturni Vulgares die Nacht-Wächter de quibus ſtatuta cujusque Civitatis. (4) Vigiles in Navibus conſtituti. De quibus conf. HanSee-Städiſches See-Recht *Tit. 4. art. 11. 12. 13.* ap. Dn. Mœv. *ad Jus Lub.* ubi non ſolum is qui dormiens inventus, ſed ille etiam qui dormientem invenit nec indicavit, pari pœna mulctantur. (5) qui ad officium ſuum expediendum ſemel exſuſcitati, dormiendo pergunt, ut ſunt Duces belli, Conſiliarii & Officiales Principum, Medici, Sacerdotes, Pharmacopolæ, item Chirurgi, Obſtetrices & ſim. qui dum partim ad munus ſubeun-

binat. Jenenſ. Menſ. Octobr. 1669. pronunciatum. His ſimiles ſunt, qui torrefactioni polenræ aut coctioni Cereviſiæ dem Mältzen und Bierbrauen præponuntur; *Hinc Quær.* Si ex negligentia vel ſomdo miniſtrorum, qui hiſce operis adhibentur, incendium oriatur, & domui vicini noceat, an damnum Paterfad quem ſpectat cereviſia, reſarcire teneatur? *Diſting. Magnif.* Dn. Tabor. *de Jure Cereviſiario cap. 5. § 5.* an adhibuerit miniſtros privatos an publicos. Si privatos adhibuerit, damnum culpa eorum datum reſarcire ipſum teneri aſſerit *arg. l. penult. & ult. ff. Naut. Caupon. Stab. l. 4. de Publ. & Vectigal.* addatur omni o & *l. 27. ſ. 9. ad L. Aquil.* Sin autem uſus fuerit opera miniſtrorum publicorum, vel quorum opera cœteri communiter utuntur ipſum, excuſatum eſſe; nam qui facit quod alii quoque facere ſunt ſoliti, non dicitur eſſe in culpa, ſed ab eo communi exemplo vel conſuetudine excuſari. *l. 3. ad SCt. Maced.* Jaſon & alii citati Rauchbaro. *part. 2. quæſt. 10. n. 60. & 63.* De his vero & ſimilibus generalem ponimus Concluſionem, quod damnum occaſione ſomni culpoſi aliis illarum reſarcire teneantur.

Th. 16. Poſſemus quidem fuſius hæc pertractare, & nonnulla de Civiliter ac Spiritualirer Dormientibus huic adjungere. Sed brevitas, quæ nobis pro Lege fuit, & nunc pro argumento veniæ erit, ſi qua minus ſunt a nobis accurate propoſita; item temporis & inſtituri ratio hoc non permittunt; proinde filum abrumpo. Tuum erit, Benivole Lector, ea quæ hic obſequii magis, quam ullius auræ (quam hæc exigua nullam merentur) aucupandæ gratia evul gatia ſunt, benigne interpretari. Dabit meliora

DIES, ÆTAS, LECTIO.

VA11522091